

vel quasi non universi conceptus doctrinae Christianae verbis idoneis exprimi & aliis insinuari atque communicari, non vero per falsas nomenclaturas corrupti, debeant. Non itaque in rebus tam magnae sublimitatis omnis λογομαχία erit temeraria & vana. Apostolus enim i. Tim. VI. 4. uti non omnes ζητήσεις seu quaestiones, quas cum λογομαχίᾳ conjungit, ita non omnem pugnam de verbis rejicit, sed repudiat τὰς νοσθυτὰς aegrotantes circa quaestiones & contentiones de verbis, hoc est, qui formae sanorum verborum non insistunt, sed rationi suae & ingenii felicitati nimium indulgent, quicquid vero illam superat, protinus credere recusant. Non ergo omnis pugna de verbis abicienda, cum verba nihil sint, quam signa rerum & conceptum mentis, quae potius, ubi rem recte exprimunt, cum rebus ipsis in caro pretio habenda.

#### Momentum IV.

**M**ale speciatim urgetur, in hac doctrina a vocabulis abstractivis esse prorsus abstinendum.

¶  
En. 9.

§. I. **A**lluctor ita sermocinatur: *Abstractio Metaphysica, cuius profectio nulla est necesitas, quam & vulgus non capit, quam & Scriptura Sanctorum nullibi urget, totam hanc litem fundat. Quid opus est, de natura in abstracto longam & odiosam litem neglere? Sufficit nobis, Christum Deum & hominem omniscium, omnipotentem & adorandum esse, quod nemo est Protestantum, qui diffiteatur. Idem non uno loco in Institut. dogmat. urget & inculcat, Diaboli astu & hominum ineptia campum hunc tot spinis scholasticis & argutis terminis abundare, ut veritate ipsa hic nobis adhinniente dici possit (quod etiam conqueritur WERENFELSIUS Diff. I. cuius in multis vestigia legit Allocutor)*

Aposto-